

nec vala lön éhség a földön. Azért élméne ember Judanac Betleheme böl bogy zarandoklana Moabitidif-nec vidékeben ü feleségéuel es két fiayual. &c. Vides adhiberi c finale pro k, punctum supra e loco accentus; ü vero per o quoddam petiolatum, quod typo exprimere non potui, repraesentatur. Epistolae Paulinae lingua Hungarica impressae fuere Cracoviae 1532. 8. Quatuor Evangelia Viennae 1536. 8. Novum Testamentum Uifzigethini 1541. 4. Biblia integra Reformatorum Visolii 1590. f. Catholicorum Viennae 1626. f. Stephani Szanto five Aratoris Versio V. T. nullibi comparet, neque ea ad Nostrae aetatem ascendit Auctore a. 1612. Olomucii defuncto. Hanc igitur praesentem summae raritatis esse, ipsum insuper Literatorum de ea silentium evincit.

XLVIII.

R. 72 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 161. 8. per duas columnas minutissime scriptus, rubricis distinctus, et, ut adserit p. 1. aliquando *monachorum congregationis sancte iustine de padua deputatus monasterio sanctorum Seuerini et Soffii (sic) de neapoli*, est Pars Operis Biblici vulgatae interpretationis sequentes Libros complexa: *Job, Parabolas, Ecclesiasten, Cantica, Sapientiam, Ecclesiasticum, Prophetas maiores et minores.* Omnes cum Hieronymi Prologis, quorum qui in *Ecclesia-*

sten est, per Librarii errorem *Jobo* subnectitur.

XLIX.

R. 73 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 103. 8. est ejusdem Operis Biblici Pars postrema, seu *Novum Testamentum*, eodem modo instructa, ut praecedens. *Actus Apostolorum* intercedunt inter *Epistolas Pauli et Canonicas.* I *Joh.* c. 5. utrumque Testimonium integre legitur; terrestre tamen coelesti praepositum est. Ad calcem *Apocalypseos* nihil. Quid reliquis horum Bibliorum Partibus factum sit, dicere non habeo; jam enim ita distractae *Neapoli* ad nos pervenere.

L.

R. 3109 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 369. 4. minute, sed nitide perscriptus, et minio distinctus hanc in Theca Notam praefert: *Iste Liber est Monasterij S. Dorothee virg. ac mart. Wienne. Et continet 2am partem Biblie quem Magister Hieronymus Licentiatu decretorum frater eiusdem Monasterij professus libenter voluit esse communem.* Initium igitur a *Libris Salomonis*, quos alii consueto ordine, Praefationibusque *Hieronymi* instructi consequuntur. *Machabaeis* praefatur, ut solet, *Raban. Maurus.* Testimonium triplex *Joh. I.* c. 5. ita conceptum est: *Quoniam tres sunt qui testimonium perhibent in terra. aqua sanguis et spiritus* (Cera-